

cialiora significata, tanquam species, ut tandem perveniat ad primum omnium principium. Quo tandem, methodo analytica seu ἀναλύσει mediante, per ἀναγωγὴν seu inductionem principiorum ad principia invento, & non quidem demonstrationibus à priori; simplici tamen intuitu seu intelligentia, beneficio ἀναλύσεως cognito, philosophiæ primæ habitus-acquisitus est.

44. Quibus omnibus rectè consideratis, etsi libenter largimur, methodum seu demonstrationem analyticam in Metaphysica adhiberi ad indagandam primam causam, non tamen dicendum est, hanc disciplinam conscriptam esse ordine analytico. Sive enim secundum receptam vulgo sententiam ens quatenus ens constituimus objectum Metaphysicæ, eamq; dividimus in generalem partem, quæ ens tanquam genus quoddam in generalissimis affectionibus & attributis suis considerat, & in partem specialem, in qua ad substantiam tam dependentem, quam independentem, & ad accidens, tanquam quasdam species, descenditur: sive etiam hunc scopum Metaphysicæ esse dicimus, ut omnia attributa, quæ enti per se insunt, percurrens, procedendo à notioribus nobis ad ea, quæ latent, investiget: ordo deprehendetur, qui incipit à fine operationis, tanquam à principio & causa, ad operationem certis medijs suscipiendam impellente. Operatio autem hic nulla intenditur, in sola speculatione occupamur. Universalia interim præmittuntur, quæ etsi in prima philosophia (quam sapientiam potius, quam scientiam non sine causa vocant) non sunt, ut in alijs scientijs, vera principia interna, constituentia eorum, quæ inde constant, sicuti materia & forma est principium omnium corporum naturalium; unitas numerorum, punctum quantitatum; (ens enim & affectiones ejus non ut causæ constituunt substantiam & accidens, sed analogicè de illis eorumq; speciebus dicuntur) ad leges tamen synthetici ordinis disponuntur omnia, ut præmittantur, quæ quasi sunt principia reliquorum, & distinctam eorum notitiam in intellectu nostro pariunt.

Fan & qm
Eus: nihil

45. Theologia sane naturalis in duabus his quæstionibus apodicticis tota occupatur: ἄν ἐστὶ καὶ τί ἐστὶ θεός: an & quid sit Deus. Causas Dei inquirere prohibetur, quas prima causa non habet: affectiones etiam proprie sic dictas ab eo removet, quia eum ex subjecto & affectionibus per causam non esse compositum novit. Quæsitæ igitur apodi-